

adsumendae, ut si habet plures in fundo textores atque institutos histonas, sic alios artifices.

Scrofa, Diiungamus igitur, inquit, pastionem a cultura, et siquis quid vult aliud [aliud]. Anne ego, 22
 5 inquam, sequar Sasernarum patris et fili[i] libros ac magis putem pertinere, figilinas quem ad modum exerceri oporteat, quam argentifodinas aut alia [metalla] metalla, quae sine dubio in aliquo agro fiunt? sed ut 23
 neque lapidicinae neque harenariae ad agri culturam
 10 pertinent, sic figilinae. neque ideo non in quo agro idoneae possunt esse non exercendae, atque ex iis capiendi fructus: ut etiam, si ager secundum viam et op<p>ortunus viatoribus locus, aedificandae tabernae devorsoriae, quae tamen, quamvis sint fructuosae, nihilo
 15 magis sunt agri culturae partes. non enim, siquid propter agrum aut etiam in agro profectus domino, agri culturae acceptum referre debet, sed id modo quod ex satione <e> terra sit natum ad fruendum. Suscipit 24
 Stolo, Tu, inquit, invides tanto scriptori et obstrigil-
 20 <l>andi causa figlinas reprehendis, cum praeclara quaedam, ne laudes, praetermittas, quae ad agri culturam vehementer pertineant. Cum subrisisset Scrofa, quod 25
 non ignorabat libros et despiciebat, et Agrasius se scire modo putaret ac Stolonem rogasset ut diceret, coepit:
 25 Scribit cimices quem ad modum interfici oporteat his verbis: 'cucumerem anguinum condito in aquam eamque infundito quo voles, nulli accedent; vel fel bubulum cum aceto mixtum, unguito lectum'. Fundanius aspicit 26
 ad Scrofam, Et tamen verum dicit, inquit, hic, ut hoc
 30 scripserit in agri cultura. Ille, Tam <h>ercle quam hoc, siquem glabrum facere velis, quod iubet ranam luridam

4 del. v || 7* argenti fodinas | aut alia [metalla] metalla *Zahlfeldt.* aut aliā et aliā et alia || 9 arenariae (harenariae *apogr. recentiora*) | 11 exis (ex iis *V.*) || 13 opportunus *V.* | devorsoriae (*denorsorie cod. Par.*) || 18* ex *Victorius.* nec (quod ex terra satione natum *Schneider*) | add. *Keil* || 19 obstrigilandi (*obstrigillandi cod. Par. et apographa nonnulla recentiora*) || 26* ||